



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Prima Duo Sæcula Complectens

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 13322648**

§. 44. Hegesippus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

servasti tempora? & ubicunque sive se-  
dens, sive stans audivisset blasphemiam,  
ex hoc loco fugiebat. Valentinus hære-  
ticus, qui sub Pontifice Hygino Romam  
venerat, adhuc ibi sub Aniceto degebat.  
Mulier nomine Marcellina Gnosticorum  
de secta multos Romæ pervertebat, at  
S. Polycarpus Romæ tunc commoratus,  
plures a Valentino, & Marcione seductos  
in sinum Ecclesiæ reduxit; Ipsi Valenti-  
nus, & Marcion errores suos fecte abju-  
rarunt, & in Ecclesiam recepti sunt;  
Marcion etiam pecuniam dedit, quæ ipsi  
reddita, dum secundo ejectus est.

## §. XLIV.

*Hegesippus.*

Eodem tempore Hegesippus Romæ erat;  
is natus Judæus, fide Christi suscepta,  
quinque libros de Historia Ecclesiastica a  
Passione Jesu Christi ad sua usque tempo-  
ra scripsit, in quibus sincere Traditiones  
Apostolicas stilo simplici collegerat; *Euf. IV. hist. c. 8. 14. 22. Hieron. de script.*  
quamvis enim esset doctissimus, Aposto-  
los sicut vivendi ratione, ita & scribendi  
methodo imitabatur. In itinere Romam  
constitutus multis Episcopis collocutus  
est, eosque omnes in eadem Doctrina, &  
Regulis concordēs invenit. Corinthi, ubi  
aliquanto tempore mansit, sæpius cum Pri-  
mo urbis Episcopo conversatus est, quod  
utrique per jucundum accidit, & Hege-

Sæculum II.  
A. C. 161.

An. 161.

Soter Papa.

*Martyr.*  
*Rom. 7. Apr.*

Aurelius An-  
toninus  
Philosophus  
Imperator  
&  
Lucius Ve-  
rus

Hegesippus cognovit, Ecclesiam Corinthiorum illo usque in vera, & sana Doctrina constanter perseverasse. Ubi Romam venit, illic usque ad Eleutherii, qui tunc sub Papa Aniceto Diaconus erat, Pontificatum permanfit. Satis constat, Anicetum Papam anno centesimo sexagesimo primo e vivis excessisse, & quod Soter ejus Successor ad annum centesimum septuagesimum sederit, qui Eleutherii primus fuit. Universim Hegesippus testatur, suo tempore nullam sedem Episcopalem, incipiendo ab Apostolis, neque ullam urbem fuisse, ubi non fideliter ea omnia, quæ lex præcipiebat, Prophetæ docuerant, & ipse Dominus prædicaverat, servarentur. Hegesippum Ecclesia inter Sanctos numerat, scripta vero ejus omnia perierunt, si paucula fragmenta excipias, quæ nobis servavit Eusebii industria.

§. XLV.

*Mors Antonini. M. Aurelius  
Imperator.*

Imperator Antoninus Pius vivere desit anno Jesu Christi centesimo sexagesimo primo; anno ætatis septuagesimo, Imperii vigesimo secundo. Successerunt duo ejus filii adoptivi, Marcus ejus nepos, & Gener, & Lucius. Marcus erat filius Annii Veri Imperatricis Faustinae fratris,